

turpitudine versatur, ubi possessoris causa potior est. (17. Ulpianus vero: « Sed et quod meretrici datur (ait in l. 4, § 3, ff. *De condict. ob turp. vel injust. caus.*) repeti non potest ut Labeo et Marcellus scribunt, sed nova ratione, non ea quod utriusque turpitudine versatur, sed solius dantis: illum tamen turpiter facere quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix. »

(18. Improbatur vero et non immerito Stryk, *Juridic. disp.*, vol. XI, disp. 17, cap. 1, n. 22, novam hanc Ulpiani rationem: « Ea conceptum (ait) egregium Ulpiani de turpitudine. Concedit involvere turpitudinem meretriciam vitam agere, sed in acceptione mercedis, cum semel meretrix sit nullam agnoscit. Idem est ac si dicere velles: turpe est esse furem et sacrilegum; sed ubi quis semel fur est et sacrilegus, non turpiter furatur et sacrilegium committit. Nunquam prægnavit contradictionem invenit. Concedit Ulpianus esse turpe meretriciam vitam agere; quidquid ergo accipitur ex illa turpi causa, omnino turpe erit; non potest enim effectus melior esse sua causa. Sed quid hæc ad allegationem propriæ turpitudinis? Jocarisi ni fallor. Pono, Titius pecuniam datam condicit: opponit meretrix exceptionem: accepi mercedem ex justa causa, vel titulo, scilicet propter stuprum. An putas meretricem non allegare propriam turpitudinem? Et tamen patronus meretricum Ulpianus hoc negat. Contradicit enim, ut videtur, aliis jurisconsultis, Labeoni et Marcello qui ratione saniori ducti existimabant, ideo mercedem repeti non posse quod

METOPOSCOPIA.

Vid. verb. SUPERSTITIO, n. 22.

METROPOLITANUS.

SUMMARIUM.

1. Metropolitanus jurisdictionem ordinariam in suffraganeorum diocesis exercere prohibetur. — 2. Metropolitanus non potest visitare ecclesias

(1. Metropolitanus jurisdictionem ordinariam in suffraganeorum diocesis exercere prohibetur. Benedict. XIV, tom. I, constitut. 98, incip. *Inter plures*, § 19. (2. Metropolitanus non potest visitare ecclesias cathedrales, aut diocesis episcoporum suffraganeorum, nisi de mandato concilii provincialis. Idem *ibid.* (3. Metropolitanus jurisdictionem non habent proprio jure in monasteria sita in diocesis suffraganeorum. Idem *ibid.*, § 19.

Novissimum additamentum.

* Apud omnes sive Græcos, sive Latinos metropolitanus, voces cujus metropolitanus, et metropolita eadem et notio semper fuit, et potestas: is enim et alias fuit, et nunc est metropolitanus, qui episcopis superior, inferior primatibus, nec civitatem tantum unicam, ut episcopus, nec diocesim tamen, ut primas, sed provinciam regit integram. Me-

utriusque turpitudine versetur, ubi possessoris causa potior est, leg. 8, ff. *De condict. ob turp. caus.* Expresse etenim asserit solius dantis adesse turpitudinem, non accipientis et hanc novam rationem ab ipso esse inventam. Confer et Brunemann., in d. l. 4, § 3, ff. *De cond. ob turp. causam*, n. 1 et plur. seq., improbantem hanc Ulpiani novam rationem.

(19. Hinc vero patet meretricem, etiam secuta copula, petere haud posse promissum. Si enim datum ideo repeti minime potest, quia in pari causa turpitudinis melior est conditio meretricis possidentis, ex eadem ratione locus esse nequit petitioni promissi, quia et in pari turpitudinis causa, melior esse debet conditio promissoris. Accedit quod frustra quæretur an datum repetatur, si non datum peti posset. Adis et Brunemann. loco mox citato, n. 10 et plur. sequen., qui Covarruviam in c. *Peccatum*, part. 1, § 12, contrarium tenentem nominatim confutat.

(20. Utrum autem promissio facta meretrici sit ipso jure nulla, an exceptione doli sit elidenda? Distinguit Brunemann. ubi supra, n. 8 et seq., et, « aut turpis causa non est expressa, » inquit « et valet conventio, sed est inefficax ob exceptionem doli, qua probata, reus absolvitur; aut est expressa et est ipso jure nulla. »

(21. Quid si pignus datum præterea sit meretrici? Pignus retinere haud posse probat Zoësius, in d. l. 4, § 2, n. 9 *De condict. ob turp. caus.*, propterea quod adjici pignus nequit obligationi nullæ, vel inefficaci.

cathedrales, aut diocesis episcoporum suffraganeorum, nisi de mandato concilii provincialis — 5. Metropolitanus jurisdictionem non habent proprio jure in monasteria sita in diocesis suffraganeorum — Affertur *Novissimum Additamentum*, ibi.

trapolitarum porro origo non male ab ipsis repetitur apostolis, quia in Timotheo, Tito, et fortasse etiam in aliis quibusdam a se constitutis episcopis specimen quoddam metropoliticae dedere potestatis, sequentibus deinde temporibus auctæ, et completæ. Erat autem metropolitanus episcopus ad synodum vel bis, vel semel singulis annis evocare; illorum electionibus præsidere; eos consecrare; contentiones, lites, dissidia, si quæ inter illos orirentur, sopire; eos si quid peccarent, corripere; eorumque judicia, si provocatum esset, aut rescindere, aut confirmare, aliaque id genus obire munera, de quibus Selvaggius in *antiquitatum Christianarum Institutionibus*, lib. 1, p. 1, c. 19, § 5; salva tamen in ipsos metropolitas patriarchæ auctoritate, multoque magis salvo Romani pontificis primatu, ut recte monuerunt Ballerini tom. XI *Oper. S. Leonis* col. 979, num. 4. Idem Ballerini, *ibidem* col.

1029 seqq. serius metropolitas cum in Gallis et Hispaniis, tum etiam in Italia, nec nisi quarto sæculo institutos fuisse docent, nullum autem in regno Neapolitano, et Siculo metropolitanum præter Romanum Pontificem a primis Ecclesiæ sæculis ad Leonem

METUS.

SUMMARIUM.

1. Metus quid sit. — 2. Metus est duplex, scilicet gravis, seu cadens in constantem virum, et levis, seu cadens in virum inconstantem, et qualis sit uterque, *remissive*. — 3. Ad metum gravem quatuor conditiones requiruntur, et assignantur, *remissive*. — 4. Metus alius est incussus a causa intrinseca, et alius a causa extrinseca libera, et qualis sit uterque, *remissive*. — 5. Insuper metus alius est juste incussus et alius injuste et qualis sit uterque? *remissive*. — 6. Qualis metus invalidet, seu dirimat matrimonium, necne, *remissive*. — 7. Metus et violentia in quacunque ætate incutiantur, reddunt matrimonium ipso jure nullum. — 8. Dummodo tamen talis sit metus, et violentia, ut potuerit cadere in constantem virum. — 9. Mulieri dicenti se contraxisse per metum, incumbit onus probandi, non solum ipsum metum, sed etiam illius qualitatem. — 10. Metus cadens in constantem virum dicitur mortis periculum, aut corporis cruciatus et aliud hujusmodi grave malum. — 11. Metus vanus et levis non excusat. — 12. Metus quando dicatur vanus, et levis, seu non cadens in constantem virum et quando gravis, seu cadens in constantem virum, relinquunt arbitrio judicis. — 13. Metus minus excusat feminam quam masculum. — 14. Metus mortis violentæ incussus a causa libera extrinseca cadens in constantem virum invalidat professionem regularem. — 15. Non invalidat autem dictam professionem, nec votum irritat metus mortis naturalis,

(1. Metus est, instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio, l. 1, ff. *Quod met. caus.* S. Thomas in 4 sentent., dist. 29, quest. prima in corpor.; Fagnan. in capit. *Sacris* 5, De his quæ vi metusve, n. 18.

(2. Metus est duplex, scilicet gravis, seu cadens in constantem virum, et levis, seu cadens in virum inconstantem, et qualis sit uterque? Vide verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, art. 5, n. 119.

(3. Ad metum gravem quatuor conditiones requiruntur, et assignantur. Vide d. verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, art. 1, n. 120.

(4. Metus, alius est incussus a causa intrinseca, et alius a causa extrinseca libera, et qualis sit uterque? V. d. verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, n. 121.

(5. Insuper metus alius est juste incussus, et alius injuste, et qualis sit uterque? Vide dict. verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, n. 122.

(6. Qualis metus invalidet, seu dirimat matrimonium nec de? Vide d. verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, a d. 123 ad 127, et verb. MATRIMONIUM, art. 9, n. 4, 5, 6, 7 et 49.

(7. Metus, et violentia in quacunque ætate incutiantur, reddunt matrimonium ipso jure nullum, cum tollant libertatem consensus, textu expresso in cap. *De illis* 9 De despon-

Isaurum exstitisse, pluribus ostendendum Carminius Fimianus sibi sumpsit in ea dissertatione, quam Neapoli edidit 1776, *De ortu et progressu metropolitanarum ecclesiarum in regno Neapolitano et Siculo*.*

seu ab intrinseco. — 16. Nec dictam professionem invalidat, nec votum irritat metus mortis accidentalis casualis. — 17. Cur professionem inficiat timor mortis violentæ incussus a causa libera extrinseca, et non timor mortis naturalis, vel accidentalis casualis? — 18. Metus mortis violentæ ad hoc, ut invalidet professionem, debet esse ab homine incussus et ordinatus ad ipsam professionem extorquendam. — 19. Secus autem non invalidat. — 20. Metus reverentialis, si præcesserint minæ, vel verbera, aut pater sit terribilis, annullat professionem. — 21. Professio dicitur metu facta ex præcedentibus minis, aut verberibus a patre illatis, etiam sine expresso præcepto. — 22. Insuper volunt multi, sufficere solum metum reverentialem, etiam absque minis. — 23. In praxi tenendum est, non sufficere solum metum reverentialem ad annullandam, seu invalidandam professionem regularem. — 24. Quæ dicta sunt de metu circa professionem, veniunt proportionaliter cæteris paribus dicenda de metu circa matrimonium, et circa susceptionem sacrorum ordinum. — 25. Alia de metu, *remissive*. — 26. Metus electionem inficit ipso jure. — 27. Metus gravis cadens in constantem virum excusat a præcepto positivo tam divino quam humano. — 28. Nullus tamen metus etiam mortis excusat ab observantia divini præcepti, cujus transgressio est intrinsece mala. — 29. Neque ullus metus etiam mortis excusat ab observantia præcepti, seu legis, cujus transgressio est contra bonum commune. — 30. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu ad num. 44.*

sat. impub., ibi: « Sed cujuscunque sint ætatis, se possunt per illatam violentiam excusare, nisi post violentiam consensus accedat; » et concordat cap. *Veniens* 13, De sponsalibus et matrim. (8. Dummodo tamen talis sit metus, et violentia, ut potuerit cadere in constantem virum; cap. *Veniens* 13, et cap. *Consultationi* 28, tit. eodem; Fagnan., in cap. *De illis* 9 et 10, et, ipso teste, communis aliorum.

(9. Mulieri dicenti se contraxisse per metum, incumbit onus probandi non solum ipsum metum, sed etiam illius qualitatem, videlicet metum fuisse talem, qui cadere possit in constantem virum; cit. cap. *Veniens* 13, et cap. *Consultationi* 28, De sponsalibus, ibi: « Sed de illato metu est cum diligentia inquirendum, et si talis metus inveniatur illatus, qui cadere potuit in constantem virum, erunt non immerito audiendæ. » Fagnanus in cit. cap. *Consultationi*, n. 9, et alii passim. (10. Metus cadens in constantem virum dicitur mortis periculum, aut corporis cruciatus; et aliud hujusmodi grave malum; l. *Interpositas*, cod. *De transactionibus*, c. *Perlatum est* 1, et cap. *Cum dilectus* 6, De his quæ vi metusve causa fiunt, cap. *Si verum* 1, et cap. *Lotharius* 4, caus. 31, qu. 2; Fagnanus in cit. cap. *Consultationi*, n. 10; Cardinal. *ibid.* n. 1, et ibi Glossa ultima communiter recepta.

(11. Metus autem vanus non excusat; l. *Metus autem 2*, ff. *Quod met. caus.*; l. *Vani timoris*, ff. *De regul. juris*, et l. *Si quis ab alio*, ff. *De re iudicata*; Fagn. l. c., n. 11, et alii passim.

(12. Metus autem quando dicatur vanus, et levis, seu non cadens in constantem virum, et quando gravis, seu cadens in constantem virum, relinquatur arbitrio iudicis. Leg. *Metus autem n. Ex quibus caus. major.*; Glossa in dicta l. *Interpositas*, in verb. *Cruciatas*, cod. *De transactionib.*; Glossa additionalis in citat. cap. *Consultationi*, verb. *In constantem*; Fagnanus *ibid.*, n. 11; Abbas, in cap. *Cum virum*, n. 8. De regularibus, et alii apud Menoch., *De arbitr. iudic.*, cas. 333, n. 3. (13. Metus tamen minor magis excusat feminam quam masculum, ut notat Glossa communiter recepta in cap. *Cum locum 14*, De sponsalibus et matrim., verb. *Metus*, per textum in cit. cap. *Indignantur 4*, eaus. 32, quæst. 6; Fagnanus in cit. cap. *Consultationi* n. 14; Butrius, *ibidem*, n. 14; Card., n. 1; Abbas, in 3 notab.; Præposit., n. 2. Alexander de Nevo, in 5 notabil.; Rota p. 7, recen. dec. 113, n. 12, p. 13, dec. 211, n. 8, et sæpe alibi.

« Dubitatur an in matrimonio contracto ex metu gravi possit resilire ille, qui metum incussit? Prima sententia affirmat, et hanc tenent Busemb... Sanchez... cum Soto, Henr. Man. Arag. Pal. etc. et probabilem putat Bonac... Ratio, tum quia in contractu matrimonii nequit alter esse obligatus, altero libero remanente; tum quia incutiens metum non tenetur stare matrimonio, neque ratione contractus, neque ratione injuriæ illatæ; non ratione contractus, quia ex contractu nullo nulla consurgit obligatio; non ratione injuriæ illatæ, quia hæc injuria non censetur tanta, ut non possit, nisi per matrimonium resarciri.

« Secunda vero sententia negat, eamque tenent Nav. Bon. Pont. cum Coninck, et Salm. cum Avers. Henr. Trull. Leand, etc. Ratio, quia nemo debet ex suo crimine commodum reportare. Hæc autem sententia, una cum præfata ratione maxime probatur ex cap. *Propositum 1*, De eo, qui duxit, etc., ubi: cum quidam conjugatus aliam uxorem duxerit, insciam prioris matrimonii, mortua deinde prima uxore, Pontifex decrevit virum teneri stare secundo matrimonio, si mulier voluerit, hanc rationem adducens: « Nec dignum est ut prædictus vir lucrum de suo dolo reportet. » Nec valet dicere, quod ibi sermo sit de dolo, non metu, nam in c. *Cum contingat*, De jurejur., dolus et metus æquiparantur. Imo ait Lugo... quod jura majorem censent injuriam irrogari per metum, quam per dolum, unde quod in textu disponitur de dolo, æque, et forte potius intelligendum de metu. Hinc fit quod, licet metum incutiens non remaneat obligatus vi contractus, remanet tamen obligatus ratione injuriæ. Utraque sententia est probabilis, sed hæc secunda videtur probabilior; maxime si metus non possit probari, quia tunc, cum Ecclesia cogat metum passum ad cohabitandum,

tale gravissimum incommodum non est reparabile, nisi per verum matrimonium et tanto magis si pars metum passa fuerit femina, quæ alias, soluto matrimonio, semper aliqua infamia remaneret notata. Et huic consentit etiam Pal... ubi dicit primam sententiam tantum locum habere, quando injuria posset alia via reparari. » Ita D. de Ligorio, *De matrim.*, n. 1057.*

(14. Metus mortis violentæ incussus a causa libera extrinsece cadens in constantem virum invalidat professionem regularem; cap. *Perlatum est 1*, et cap. *Delectus 6*, De his quæ vi metusve causa fiunt; Fagnanus, in cap. *Sicut nobis 17*, De regularibus, n. 24 et 27, et communis aliorum. 15. Non invalidat autem dictam professionem, nec votum irritat metus naturalis, seu ab intrinseco, ut metus mortis in graviter ægroto, ratione cujus non impeditur votum emissum, cap. *Porrectum 13*, cap. *Sicut nobis 17*, De regularibus, etc. Ex part. ix *De conversione conjugator.*; Fagnan., *loc. cit.*, n. 23, et alii passim. (16. Nec dictam professionem invalidat, nec votum irritat metus mortis accidentaliter casualis, ut quando votum religionis assumendæ fuit emissum ab eo, qui metuebat mortem ex periclitatione navis, ex incendio, ruina, peste, aut clade, quæ forsitan Deus immittit, ut homines convertantur, ut cap. *Convertimini 16*, q. 1, c. *Sanctum est*, De consecrat., dist. 4, et in *Authentic. Ut non luxurientur contra naturam 1*, respons., et § 1, collat. 6; Fagnanus l. c., n. 26, et alii.

(17. Ratio autem, cur professionem inficiat timor mortis violentæ incussus a causa libere extrinseca cadens in constantem virum, et non timor mortis naturalis, vel accidentaliter casualis, est, quia cum timetur mors illa violenta, metus incutitur ab homine, non a Deo, et contra violentiam hominis jura assistunt, ut l. 1, et toto titulo ff. *Quod metus causa*, et cit. cap. *Perlatum est 1*, et cap. *Cum dilectus 6*, De his quæ vi metusve caus. fiunt, cum similibus; cum vero timetur mors naturalis, aut accidentaliter casualis, timor immittitur a Deo ad animæ conversionem, contra quod non competit restitutio, ut notat Joan. Andreas, in cap. *Cum virum*, De regularibus, et Fagnanus, *loc. cit.*, n. 28, nec esset superior, qui illam dare posset, cap. *Inferior 21*, distinct. et cap. *Cum inferior*, De majoritat. et obedient. Deus enim non semel per flagella corripit peccatores; cap. *Nabuchodonosor 23*, q. 4. Et sic distinguit Glossa in cap. *Sicut nobis 17*, De regularibus, verb. *De morte securus*, ubi expresse habet: « Quæritur quare alias timor mortis impedit monachari, ut cap. *Perlatum 1*, De his, quæ vi metusve causa fiunt, et non hic? Respondeo: monachatur ibi, ut evadat mortem corporis: hic non monachatur, ut evadat mortem corporis, sed potius mortem animæ. » Et ita Hostiens., Joan., Andreas, Henric., Boich. cum Fagnan., *loc. cit.*, n. 28, et ipso teste cæteri alii.

(18. Metus autem, seu timor mortis vio-

lentæ ad hoc, ut invalidet professionem, debet esse ab homine incussus, et ordinatus ad ipsam professionem extorquendam, juxta textum in cap. *Perlatum 1*, De his quæ vi metusve causa fiunt. (19. Unde, si quis, ut evadat ultimum supplicium ob conscientiam scelerum commissorum, aut mortem sibi timens ab inimicis, religionem profiteatur, nisi aliud obstiterit, est valide professus, licet alias professurus non fuisset, ut articulo diligenter discusso, declaravit sacra congreg. Conc. teste Fagnano, in cap. *Si quis 2*, De regularibus, n. 82.

(20. Metus reverentialis, si præcesserint minæ, vel verbera, aut pater sit terribilis, annullat professionem. Sic, articulo mature discusso, firmavit Rota dec. 590, n. 2 et 3, et dec. 720, n. 3, *coram Merlino cum aliis*, in *Melevitana nullitatis professionis 3* Januarii 1633, § *Nec dicitur*, et part. iii, recent. dec. 109, n. 2, part. xiii, dec. 211, n. 6, et sæpe alibi, et sic tenet Pignatell., t. VII, consulti. 77, cum communis aliorum. (21. Professio dicitur metu facta ex præcedentibus minis, aut verberibus a patre illatis, etiam sine expresso præcepto. Rota, cit. part. iii, dec. 103, n. 2, et part. xiii, dec. 211, n. 6, cum plurimis ibi adductis. (22. Insuper Rota in *Tarraconensi, coram Merlino*, quæ est decisio 491 inter illius impressas, teste Pignatell., *loc. cit.*, n. 2, speciatim firmavit sufficere solum metum reverentialem, etiam absque minis, propter summam libertatem, quam hujusmodi actus requirit, ut ex mente sacræ congregationis Concilii tuetur Diana, part. iii, tractat. 2, De regularibus, resolut. 92; Sperell., dec. 79, n. 28, cum aliis per Rotam in *Burgensi, nullitatis professionis 16* Aprilis 1649, § *Quæ omnia, coram Arguëlles*, et alii apud Reiffenstuel, lib. i *Decr.*, tit. 31, n. 164, et favet regul. 4, ff. *De regul. juris*, ibi: « Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini; » quia talis metus reverentialis communiter censetur æquivalere metui gravi. Pontius lib. iv, cap. 5; Tanner, Lessius, Barbosa apud Gobat, tract. 9, n. 249. (23. In praxi tamen tenendum est non sufficere solum metum reverentialem ad annullandam, seu invalidandam regularem professionem. Sic Reiffenstuel, lib. iii *Decretal.*, tit. 31, n. 165, ubi, plurimis citatis, dicit esse probabilior, communior, et communissimam aliorum. Pirrhing *ibidem*, n. 120; Sanchez, lib. iv, *De matrim.*, disp. 6, n. 7 et 17, cum plurimis ibi adductis.

(24. Quæ dicta sunt de metu circa professionem, veniunt proportionaliter, cæteris paribus, dicenda de metu circa matrimonium, et circa susceptionem sacrorum ordinum. Vide Pignatell., t. VII, consulti. 77, ubi de quolibet respective metu adducit Rotæ decisiones, et plurimos doctores.

(25. Alia de metu, vide verb. *CONTRACTUS, ORDO, PROFESSIO, VOTUM, MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA*.

(26. Metus electionem inficit ipso jure, cap. *In nomine Domini 1*, Quod pravorum, § *Quod si quis contra*, dist. 23, cum simili-

bus: Fagnan., in cap. *Orbis 3*, De Simonia, n. 64, et alii communiter. Vide verb. *ELECTIO*, art. 4, a n. 31 ad 37.

(27. Metus gravis, v. g. mortis, mutilationis, infamiæ, aut jacturæ bonorum cadens in constantem virum excusat a præcepto positivo tam divino, quam humano. Sic non tenetur quis in tali periculo, aut metu ad integritatem materialem confessionis, ad impletionem voti, ad observantiam jejunii, ad auditionem missæ in die festo, et hujusmodi; quia legislator non censetur obligare cum tanto incommodo; leges enim positivæ sunt accommodatæ humanæ conditioni, juxta illud *Matthæi 11: Jugum meum suave est et onus meum leve*. Sanchez, I *Moral.*, cap. 18; Azor., part. i, lib. i, cap. 11; Layman, lib. i, tr. 2, cap. 14; Felix Potestas, t. II, part. i, n. 221 et 224, et alii passim.

(28. Nullus tamen metus etiam mortis excusat ab observantia divini præcepti, cujus transgressio est intrinsece mala; unde neque ob metum mortis licet fornicari, adulterare, mentiri, et hujusmodi. *Communis*. (29. Neque ullus metus etiam mortis excusat ab observantia præcepti, seu legis, cujus transgressio est contra bonum commune, quia bonum commune prævalet particulari. *Communis*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(30. Obligationes metu contractas jure naturæ esse nullas, non est quod dubitetur. Ut enim aliqua oriatur obligatio, satis haud est, ut is, qui se obligat, voluntatem habeat se obligandi, sed insuper necesse est ut is cui acquiritur obligatio capax sit ejus acquirendæ. (31. In obligationibus autem metu contractis, ut ut is, qui metu se obligat, voluntatem habeat se obligandi, is tamen, cui obligatio acquiritur, ejus acquirendæ haud est capax, cum nemo ex facto suo illicito meliorem suam conditionem facere possit; confer Puffendorf.

(32. Legibus vero Romanis placuit distinguere negotia bonæ fidei inter et negotia stricti juris. In illis se conformarunt juri naturæ; in his autem obligationem nasci voluerunt, sed metum passo remedio restitutionis in integrum subvenerunt. (33. Nec jus canonicum in totum recessit a jure Romano; Bohemer. in *Introduc. in jus Digest.*, lib. iv, tit. 2, n. 1; Schaumburg. in *Compendio juris digestor.*, lib. iv, tit. 2, § 1. An autem hodiernis moribus, sublata distinctione hac inter negotia bonæ fidei, et negotia stricti juris, nulla indistincte sit obligatio metu contracta? vide apud Strik., in *Usu moderno Pandect.*, lib. iv, tit. 2, § 2.

(34. Ut autem de restitutione in integrum, quam concedunt leges Romanæ, paucis disseramus, sciendum est quod non omnis metus ei locum facit, sed metus justus, qui dicitur « trepidatio mentis orta representatione mali inevitabilis a tertio non jure facta; » l. 1, l. 7, in fin, et l. 8, ff. *Quod metus causa gestum erit*.

(35. Requiritur ergo: 1° ut malum repræ-

sentatum inevitabile sit. Quocirca in incontinenti imminere non debet, sed sufficit quoque futurum, modo probabiliter certum sit; l. 2, princip. ff. *Locali*. (36. Ita tamen comparatum esse debet, ut per metum agens, non velit solum, sed etiam possit illud inferre. Metus itaque infamiae justus non est; l. 7, princip., ff. *Quod metus causa*; justus vero est metus mortis, verberum, carceris; l. 7, § 1, ff. d. tit., et l. 7, c. eodem; l. 13, c. *De transact.*, item stupri; l. 8, § 7, ff. d. tit. (37. De cetero in diducanda metus injustitia, iudicis arbitrium non plene excluditur, qui non ad malum solum representatum, sed ad « affectum quoque, et conditionem metuentis » respicere debet. Ad omnino Voet., in *Commentar. ad Pandect.*, lib. iv, tit. 2.

(38. 2° Requiritur ut a tertio malum sit representatum. Sequitur autem hinc metum reverentialem non esse justum: suspicionem mali inferendi non sufficere l. 9, princ.; l. 21, princ., ff. dict. tit.; l. 9, princ., c. eodem; metum, quem nullae minae concomitantur, vanum esse: reales quidem minas, licet verba non accedant, non vero simpliciter verbales, metum inferre posse, si facti atrocitas non sit timenda; d. l. c., eod. tit.

(39. 3° Requiritur ut malum non jure representetur. Aliud igitur, si jure licito representetur, veluti in bello, vel a magistratu, nisi hic modum excesserit, l. 3, l. 7, § 1, ff. d. tit.

(40. Hisce autem positis, non solum actio ad repetendum id quod metu extortum est, sed et exceptio ad declinandam obligationem conceditur, nisi accesserit rati habitio obligationis cessante metu facta, l. 2 et l. 4, c. d. tit.

SUMMARIUM.

1. Milites quid possint, et debeant facere, vel non ratione belli: *remissive*. — 2. Milites a quibus recipere

1. Milites quid possint, et debeant facere, vel non ratione belli? *Vide verb. BELLUM*, artic. 8.

2. Milites a quibus possint, et debeant recipere sacramenta poenitentiae, eucharistiae, et extremae unctionis, et coram quibus valide et licite contrahere matrimonium? *Vide verb. CAPELLANUS MILITUM*, per

(59) Oppido falluntur qui primaeve Ecclesiae saeculis nefas fuisse Christianis militare censent. Eos egregie confutavit Cl. Mamachus *Origin. antiq. Christian.*, tom. III, d. 305, seq. Tamen S. Basilius in sua ad Amphilochem epistola consilium dabat, ut qui puras (a caedibus in bello factis) manus non habent, triennio communione abstinerent. Minime namque, ut ex Petavio monet idem Mamachus pag. 508, decere visum est, ut ei, qui justa etiam, et licita caede manus imbuisset, sine piaculo ad tam sancta eucharistiae mysteria permitteretur aditus. Quemadmodum Davidi legimus, quod hostilis sanguinis plurimum fudisset, non concessisse Dominum, ut templum extrueret. Hinc etiam factum ut canones,

(41. Actio datur non solum contra inferentem, sed etiam contra quemvis tertium rei metu extortae possessorem, primario quidem *ad rem cum omni causa restituendam*, per accidens vero, si intra annum, vel jure codicis, intra quadriennium continuum sit instituta, restitutio vero ad arbitrium iudicis non sequatur, *ad quadruplum* rei fructus, et omnis causae; l. 14, § 7, ff. de tit. (42. Sed an hodiernis moribus hoc in casu ad quadruplum agi queat, non conveniunt doctores. Afirmat Strik., in *us. moderno Pandect.*, lib. iv, tit. 2; negant vero Gronowegen., ad l. 9, § 6, ff. h. tit.; Mornac., ad l. 14., ff. eodem; Gudelin., *De jure noviss.*, lib. III, cap. 12; adde Schaumburg., in *Compend. digest.*, lib. iv, tit. 2, § 7, ubi quod haec actio, utpote non amplius hodiernis moribus poenalis, sit perpetua.

(43. Interest autem utrum haec actio instituat contra tertium, an contra metum inferentem. Ille tantum tenetur de re exstante, et non extincta l. 14, ff. d. tit., nec de fructibus perceptis, nisi ex iis factus sit locupletior; l. 18, ff. d. tit. Hic vero de re etiam casu extincta, et de omnibus fructibus percipiendis quoque tenetur, l. 12, princ., ff. d. tit., idque quia ab ipso momento, quo rem sibi ex facto illicito habet, in mora restituendi esse intelligitur.

(44. Contra haeremem qua talem haec actio non competit, quia ex facto illicito et famoso oritur. Tenetur tamen haeres qua possessor rei *actione quod metus causa*: si ad eum aliquod ex facto antecessoris lucrum venit, *actione in factum*; l. 16, § 3, l. 19, ff. d. tit. Num de jure canonico detur haec actio contra haeremem, *qua talem*; consule Bohemer. in *Decretal.*, libr. v, tit. 17, § 3.

MILES (59).

pere possint, et debeant sacramenta, etc. ad n. 3. — 4. Milites an, et quando immunitate ecclesiastica gaudeant; ad n. 16. — 17. Alia ad rem ad num. 28. — 29. Subnectuntur *addit. ex aliena manu*, ibi.

tot., ubi referuntur ad rem plurima decreta.

(3. Sacra congregatio Concilii in *Ferrariensis jurisdictionis* 12 Januarii 1704 resolvit non posse capellanum arcis Ferrariensis audire in eadem arce confessiones cum licentia eminentissimi legati, a quo deputatur, absque licentia eminentissimi episcopi, ut in lib. LIV *Decretor.*, fol. 1.

eorum quoque, qui post baptismum milites aliquando fuissent, licet militare cingulum abiecerint, ordinationem prohibuerint; ea fortassis de causa, quod manus suas cruore infecisse praesumerent; Si quis, inquit Innocentius I, epist. 2, *ad Victricium*, post missionem peccatorum cingulum militiae secularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet: quod epistola xxiii, cap. 4 et 6 inculcat. Paulo mitius concilium Toletanum I, can. 8, statuit, quod si quis post baptismum militaverit, chlamydem sumpserit, aut cingulum, etiamsi graviora non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, diaconi non accipiat dignitatem.

(4. Milites confugientes ad ecclesiam, solum libertatem meditantes, et nullius alterius criminis rei, gaudent immunitate. Sacra congregatio Immunitat. in *Audomaren. et Ipren.* 4 Sept. 1624, lib. I *Decr.* Altovini, pag. 982.

(5. Milites transeuntes ad hostes gaudent immunitate ecclesiastica; quoad transeuntes autem ad haereticos consulatur sac. congr. S. Officii; eadem sac. congr. Immunitatis in *Ipren.* 19 Maii 1607, lib. I *Decr.* Altov. pag. 1249.

(6. Miles extractus ab ecclesia a suis officialibus militiae gaudet immunitate ecclesiastica, et est restituendus; eadem sac. congregat. Immunit. in *Cornetana* 28 Septembr. 1663, lib. *Decr.* Rocci, pag. 510.

(7. Milites confugiti ad ecclesiam, sed a proprio locum tenente assecurati posse redire ad suum proprium, ut dicitur, *quartiere*, relinquentes locum *immunem*, gaudent immunitate, dolose enim inducti sunt ad discedendum; eadem sacra congreg. Immunit. in *Spoletana* 2 Aprilis 1673, lib. I *Decret.* Altoviti, pag. 1081.

(8. Coloni mensae episcopalis non possunt in milites describi, nisi aliter sanctissimus jusserit; eadem sac. congr. Immunit. in *Perusina* 11 Dec. 1646, lib. III *Decr.* Paul., pag. 297.

(9. Miles, qui asportaverat, ut dicitur, *il nome della sentinella*, a gubernatore arcis extractus, restituatur ecclesiae, et postea nuntius extrahat, ac ex gratia speciali Sanctissimi consignet ministris reipublicae, ut illum puniant prout juris; eadem sac. congr. Immunit. in *Venetana* 7 Junii 1633, lib. II *Decret.* Paul., pag. 160.

(10. Datur facultas extrahendi, et retinendi in castro regio nomine Ecclesiae ad correctionem milites confugientes ad loca immunita, qui sunt incorrigibiles in eorum delictis; eadem sac. congr. Immunit. in *Neapolitana* 20 Septembris 1660, l. I *Decret.* Altoviti, pag. 480.

(11. Annuente Sanctissimo, datur facultas archiepiscopo extrahendi milites confugientes in fraudem servitii militaris ad ecclesias, ad formam cap. *Inter alia*, De immunitate eccl.; eadem sac. congr. Immunit. in *Sipontina* 18 Julii 1671, lib. I *Decr.* Altoviti, pag. 576.

(12. Datur archiepiscopo facultas extrahendi milites confugitos in ecclesiam in fraudem servitii regii, eosque consignandi suo centurioni, reportato juramento non puniendi pro delicto; eadem sac. congr. Immunit. in *Mediolanen.* 25 Augusti 1696, lib. II *Decr.* Vallem., pag. 45.

(13. Jussu sanctiss. ex gratia speciali datur, seu prorogatur ad aliud biennium episcopo Mantuae facultas extrahendi milites desertores vel reos alterius criminis militaris a quocunque loco immuni dictae civitatis, et dioecesis, eosque consignandi suis superioribus, reportata ab iis obligatione jurata de eos non puniendo ob fugam, vel ob aliud delictum, sed de illos tantum retinendo tanquam milites, ut antea; eadem sac.

congr. Immunit. in *Mantuanana* 9 Junii 1703, lib. III *Decr.* Vall., pag. 493.

(14. Mandante Sanctissimo, similis facultas conceditur archiepiscopo Taurinen. sub iisdem cautelis pro viginti casibus; eadem sac. congr. Immunit. in Taurinen. 10 Maii 1700, lib. II *Decr.* Vall., pag. 289.

(15. Cum pro parte regis catholici eminentissimus Trivultius supplicasset Sanctissimo pro expediendo brevi ad hoc, ut milites delinquentes non fruantur immunitate ecclesiastica in ecclesiis, seu capellis positus in castris, et arcibus majestati catholicae pertinentibus, responsum fuit: Recurrat in casibus particularibus; eadem sacra congr. Immunit. in *una regnorum regis catholici* 12 Novembr. 1632, lib. V *Decr.* Paul., pag. 2.

(16. Milites refugae a triremibus, et ad ecclesiam confugientes, gaudent immunitate, sed, si petantur, restituuntur, praestito prius juramento a triremium praefecto, illos non puniendi; ead. sac. congr. Immunit. in *Anconitana* 6 Sept. 1672.

(17. Ab onere hospitandi milites ecclesiastici sunt omnino exempti; ead. sac. congr. Immunit. in *Papiensi* 10 Sept. 1629, l. II *Decr.* Paul., pag. 6.

(18. Etiam in bonis patrimonialibus pro sua portione, et virili; ead. sac. congr. in *Dertonen.* 4 Novembris 1629, lib. II *Decr.* Paul., pag. 18.

(19. Ecclesiastici non possunt ejici a propriis domibus occasione habitationis militum; eadem sac. congr. Immunit. in *Aquilana* 16 Aprilis 1630, et *Nullius Altomurae* 27 Aprilis 1632, apud Pignatell., tom. II, consult. 32, n. 6.

(20. Officiales et milites, praevia reintegratione ecclesiae, et consensu partis, absolvuntur ob violentam hospitalationem in domo canonicali; ead. sac. congr. Immunit. in *Augustana Pedemont.* 9 Apr. 1695, lib. I *Decr.* Vallem., pag. 1881.

(21. Item eadem sacra congr. Immunit. sub die 30 Junii 1532, dedit litteras episcopi status Mediolanensis pro tuenda libertate ecclesiastica ab hospitalatione militum. Idem decrevit in *Dertonen.* 27 Martii 1635; scripsitque episcopo Bobiensi, ut viriliter tueatur clerum ab hospitalatione militum, ut sub 23 Augusti 1633. Idem episc. Placentino sub 29 Maii 1634 apud Pignatell., *loc. cit.*, num. 7.

(22. Item eadem sacra congreg. Immunit. censuit pariter domos regularium, et monasteriorum monialium exemptas esse ab hospitalatione militum, ut in *Cotronen.* 23 Augusti 1633, apud Pignatell., *loc. cit.*, num. 8.

(23. Episcopus non permittat hospitalationem equorum militarium in atris, et curtilibus monasteriorum monialium; ead. sac. congr. Immunit. in *Asten.* 5 Decembris 1696, lib. II *Decr.* Vallem., pag. 61.

(24. Ministri publici civitatis, qui violenter fecerunt reponi fenum in claustrum regularium, incidunt in excommunicationem; sed attentata remotione feni, et praevia aliqua elemosyna eroganda ecclesiae violatae, con-